

« Ratiatio operari non potest, nisi quod posset mandatum expressum; » utpote cum mandato comparetur, sicque hujus efficaciam non excedat. Quod idem de aliis juris fictionibus, servata proportione, dicendum est.

192. *Solvitur instantia.* — Nec obstat, quod aliquando plus videatur operari fictio, quam veritas, arg. l. *In eos*, ubi Bartolus, ff. *de Custod. reor.* juncta l. *Inde Neratius*, § *Idem Julianus*. ff. *Ad legem Aquiliam*. Nam ibi fictio plus operatur solummodo propter adhaerentem sibi qualitatem, non autem secundum se. Ant. Burgos, loc. cit. num. 75.

193. III. *Fictio non habet locum, nisi in casibus a jure expressis.* — Regula III. « Fictio non habet locum, nisi in casibus a jure expressis. » Fagnanus, in c. *In presentia*, n. 23, *de Probation.* ubi speciale habetur favore religionis, quod in casu ibidem expresso monasterium habeatur loco filii per quamdam juris fictionem: istud enim (idemque dicendum de similibus) neququam extendi potest quoad alia. Nam fatuum foret dicere, quod monasterium quoad omnia habeatur loco filii: alioquin enim inter alia absurda sequeretur, quod monachus ille, de quo ibidem est mentio, haberet monasterium in sua potestate, sicut pater filium; item, quod quidquid acquirit monasterium, acquirat monacho, etc. Dicendum igitur, quod fictio locum non habeat, nisi in casibus a jure expressis; prout tradit Glossa in can. *Placuit communi*. §. *Mortuus*. 16, q. 1, ubi hujus exemplum adducens de morte civili, subinfert esse tenendum pro regula, quod in solis illis casibus civilis mors æquiparetur morti naturali, ubi hoc jure cautum invenitur. Idem tenet, atque amplius deducit Felinus d. c. *In presentia*. numer. 42, *de Probation.* estque recepta doctorum sententia, quam stabiliunt, dicta numer. 189 et 190.

194. *Hinc fictio juris non extenditur de casu ad casum.* — Infertur proinde, quod fictio juris non extendatur de casu ad casum, L. ult. C. *De his, qui veniam ætat. impetr.* Felinus, cit. n. 42, post Bartolum, et alios, ubi subdit ista esse notanda, tanquam necessaria, quia aperiunt intellectum multis de facili occurrentibus. Verum cardin. Tuschus, loc. cit. concl. 223, num. 1, post Geminianum, consil. 66, n. 5, notat hoc procedere in materia odiosa; secus in favorabili: unde jura loquentia de vacatione per mortem naturalem ad favorem Ecclesiæ, habent etiam locum in vacatione per mortem civilem, seu fictam, ad

eumdem favorem Ecclesiæ. Alias autem fictio non extenditur, adeo ut lex generalis non comprehendat casus fictos, nisi expresse de ipsis loquatur card. Tuschus, d. consil. 223, n. 3, citans Baldum, consil. 139, lib. V, ac tradit Bartolus, Leg. 3, § *Hæc verba. in summa-rio*, ff. *de Negotiis gestis*.

195. *Nec ipsa habet locum in statutis.* — Infertur ulterius, quod fictio juris non habeat locum in statutis, ac proinde casus fictus non comprehendatur sub generali dispositione statutorum: nam fictio involvit improprietatem; in statutis autem verba debent proprie accipi, arg. de L. 3, § *Hæc verba*, ff. *de Negot. gest.* Jason, cit. l. *Si is, qui pro empt.* n. 170 et 171, ff. *de Usucap.* citans Bartolum, et alios. Menochius, d. lib. I, *de Præsumpt.*, q. 8, n. 26; card. Tuschus, litt. F. conclus. 222, num. 22, ubi hoc exemplificando, inter alia inquit, quod licet appellatione diei ex fictione juris veniat nox, l. *More Romano*, ff. *de Feriis*: tamen secus sit in statuto puniente, seu alterante pœnam certo die; quia hoc non extenditur ad noctem.

196. IV. *Fictio non trahitur ad illa, quæ sunt impossibilia secundum naturam. Exemplificatur.* — Regula IV. « Fictio non trahitur ad illa, quæ sunt impossibilia secundum naturam. » Glossa magna in l. *Gallus*, § *Si ejus*, ff. *de Liberis et posthum.* Jason, l. *Si is, qui pro emptore*, ff. n. 117. Bartolus, et alii. Et ratio est, quia fictio imitatur naturam, in quantum potest, l. *Adoptio*, ff. *de Adoptionib.* cum similibus: ergo non debet trahi ad ea, quæ secundum naturam sunt impossibilia. Et hoc Stephanus Costa in *Repetit. c. Cum quis*, num. 24, *de Sent. excommunicat.*, exemplificat in casu, quo quis interfecerit hominem nomine cujuspian infantis et tale homicidium infans major factus ratificavit; nam ista ratificatio minime retrotrahitur per fictionem juris, eo quod per naturam impossibile fuerit, illum infantem tunc temporis occidere, vel homicidium mandare, nec plus possit operari fictio, quam veritas.

§ IX.

DE LEGE PŒNALI, AC PŒNIS LATÆ ET FERENDÆ SENTENTIÆ.

197. *Lex pœnalis, quid, et quomodo differat a lege morali?* — Quæritur I. Quæ sit lex pœnalis, et an detur aliqua mere pœnalis? Resp. I. *Lex pœnalis* est ea, qua aliquid præcipitur,

vel prohibetur, sub certa pœna transgressoribus constituta, et ejusmodi pœna potest esse multiplex, nimirum vel spiritualis, ut excommunicatio, suspensio, etc., vel temporalis, ut confiscatio honorum, etc., vel etiam corporalis, ut incarceration, mutilatio, fustigatio, etc. Et differt lex pœnalis a *Lege morali*, quod hæc expresse nullam pœnam transgressoribus imponat, sed mores dirigat, obligando ad actum, vel ejus omissionem: unde tunc pœna, utpote a lege necdum taxata, judicis arbitrio transgressoribus imponi debet, ne crimina impunita remaneant.

198. *Lex mixta, quæ?* — Quod si vero lex obliget ad actum sub culpa præstandum, simulque ad certam pœnam transgressoribus taxatam, dicitur *Lex mixta*, videlicet ex morali et pœnali: cujusmodi plures, et passim obviam habentur constitutiones canonicæ, quæ et quidpiam ad spirituale bonum fidelium præcipiant, et congruas transgressoribus pœnas constituunt. Cæterum *Leges mere pœnales* appellantur eæ, quæ ad culpam (per se loquendo) non obligant: sed ad solam pœnam: et an tales dentur, remanet quæstio. Unde

199. *Dantur leges, seu constitutiones mere pœnales.* — Resp. II. Dantur aliquæ leges, seu constitutiones mere pœnales, quæ ad culpam non obligant, sed ad solam pœnam transgressoribus taxatam. Ita divus Thomas 2. 2. q. 189. art. 9. ad 1. ubi hoc exemplificat de regula fratrum Prædicatorum, in qua ait dari aliqua, quorum transgressio, vel ommissio, ex genere suo non obligat ad culpam, neque mortalem, neque venialem, sed solum ad pœnam taxatam sustinendam. Navarrus c. 23. *Manual.* n. 49; Angelus, §. *Religiosus* n. 28. et communior aliorum: quamvis Sanchez, lib. VI. *in Decalog.* cap. iv. numer. 42, velit ejusmodi ordinationes, ad solam pœnam obligantes, non esse proprie leges. Ratio conclusionis est, quia lex non obligat ultra mentem legislatoris; ergo si is intendat sub sola pœna obligare, hoc v. g. expresse declarando, clarum est, quod ex se ad culpam non obligent. Hoc ipsum in simili probatur ex illa doctrina, quam tradit Abbas in c. *Nam concupiscentiam*, num. 2. *de Constit.*, Sanchez, lib. VI. *in Decalogum*, cap. iv. num. 5. Layman, lib. I, tract. IV, cap. xiv. num. 2. et alii ab eis citati: videlicet, quod legislator circa materiam cæteroquin gravem possit obligare solum sub veniali; nam actus agentium non operantur ultra eorum intentio-

nem, cap. ult. *de Præbend.* et l. *Non omnis*. ff. *Si certum petatur*, cum similibus.

200. *Exemplificatur hoc in quibusdam religiosorum statutis, et aliis.* — Sic dantur quædam religiosorum statuta, quæ per se (hoc est, seclusa obligatione præcepti naturalis, divini, ecclesiastici, aut alterius, statum suum afficientis) ad culpam, seu sub peccato in conscientia incurrendo non obligant, sed tantum ad pœnam in statutis taxatam, seu a superioribus infligendam, prout de ordine Prædicatorum testatur Doctor angelicus, loc. cit. idemque procedit de aliis constitutionibus regularibus, in quibus hoc ipsum expresse declaratur. Similiter ad culpam in conscientia non obligant nonnullæ constitutiones politicæ circa eos actus, qui nec juri divino, nec naturali adversantur, eorum tamen executio, seu intermissio confert ad tranquillum statum re publicæ; ut puta, ne quis noctu sine lumine ambulet, ut certum vestium ornatum adhibeat, vel omittat, et hujusmodi. Et cum tales constitutiones ferantur a legitimo superiore, ac in bonum communitatis, et cum animo perpetuo obligandi subditos ad pœnam taxatam sustinendam; nihil eisdem deesse convincitur, quo minus sint leges proprie dictæ, cum ipsis per omnia conveniat definitio legis ut sic.

201. *Solvitur instantia. Pœna est noxæ vindicta. In transgressione legis mere pœnalis non intervenit culpa theologica.* — Objicies. Si nulla in talibus intervenit culpa, ergo nec etiam transgressoribus juste pœna per statutum taxatur, aut a superioribus imponitur; nam pœna est noxæ vindicta, ut dicitur in l. *Aliud est*, ff. *de Verb. signif.* Resp. negando sequelam: quamvis enim in transgressione legis mere pœnalis nulla interveniat culpa theologica, seu quæ sit peccatum coram Deo; nihilominus intervenit culpa legalis seu politica, quæ importat defectum a lege, et contra laudabilem reipublicæ, vel ordinis religiosi constitutionem admissum: quæ proinde culpa ab aliis appellatur *Imperfectio positiva*, ac merito castigatur pœna competentis. Accedit regula 23. juris in 6; ibi: « Sine culpa, nisi subsit causa, non est aliquis puniendus: » atqui in proposito subest causa talem puniendi, nempe violatio legis, haud obstante, quod hæc vacet culpa theologica; ergo.

202. *In transgressione legis mere pœnalis non intervenit culpa theologica.* — Dices. In tali casu vere intervenit culpa theologica,

seu moralis, saltem ex intentione legislatoris primarii, qui est Deus; ergo nulla solutio. Resp. negando assumptum: nam argumentum procedit in casu, quo legislator absolute præcipit, sicque utitur tota potestate sibi a Deo commissâ, juxta illud Apostoli Rôm. XIII, 1. *Non est potestas, nisi a Deo*. Secus, quando expresse, vel tacite, sub sola pœna præcipit; nam tunc ejus ordinationem Deus non aggravat, sed ei se accommodat, sicut faceret, si omnino nihil legislator præcepisset.

203. *Nisi per accidens; quod sæpius contingit.* — Fatendum tamen, quod in deliberata transgressione legum, seu statutorum, de se mere pœnalis; sæpius interveniat per accidens aliqua culpa theologica: idque tum ob adjunctam quamdam vilipensionem legis, vel intervenientem inordinatam passionem, aut negligentiam, seu aliam circumstantiam pravam. Sic peccat venialiter religiosus, qui frangit tempus silentii, per statuta ordinis sub mera pœna injuncti, garriendo inutilia, otiosa, etc. Item peccat venialiter, vel mortaliter sæcularis, qui gestat habitum, cæteroquin sub mera pœna prohibitum, ex vana gloria, ex contemptu legis; aut aliquo pravo fine, vel concurrentibus aliis circumstantiis mortaliter, sive venialiter peccaminosis, quales in deliberata transgressione statutorum, licet ex se sub culpa non obligantium, raro abesse solent.

204. *Unde cognoscendum, quod lex aliqua sit mere pœnalis?* — Quæritur II. Unde cognoscendum, quod aliqua lex sit mere pœnalis? Resp. Quod lex aliqua sit mere pœnalis, non bene desumitur ex sola pœnæ adjectione; sed id pendet ex intentione legislatoris, quæ tum ex verbis legis, tum ex subjecta materia, aliisque circumstantiis prudenti judicio desumenda est. Ita divus Thomas 2. 2. q. 108, art. 4; Fagnanus in c. *Si quis*, num. 58. *de Regularib.*; Geminianus cap. II. in *Glossa*. 3. *de Vita et honest. cleric.*, in 6. et alii communiter. Ratio prioris partis est, quia imprimis adjectio pœnæ spiritualis, v. g. excommunicationis, suspensionis, et hujusmodi, potius indicat legislatorem voluisse obligare sub culpa; cum tales pœnæ non nisi ob culpam, seu peccatum infligi soleant; can. *Nemo episcoporum*. 11. q. 3. cum similibus. Deinde loquendo de pœna temporali, etiam per adjectionem ipsius, præsertim si gravis sit, puta pœna mortis, vel mutilationis, potius augetur virtus obligatoria

legis; quam minuitur: unde patet, quod, quænam leges sint mere pœnales, non recte desumatur ex sola adjectione pœnæ, ut vulgus existimat, sed istud pendeat ex intentione legislatoris, utpote a qua leges vim suam obligandi habeant.

205. *Unde cognoscendum, quod lex aliqua sit mere pœnalis?* — Altera pars, videlicet, quod intentio legislatoris sit desumenda tum ex verbis legis, tum ex subjecta materia, aliisque circumstantiis, probatur ex eo; quia imprimis a verbis legis, alteriusve dispositionis recedendum non est, nisi manifestum sit aliud sensisse legislatorem, seu disponentem, arg. c. *Ad audientiam. de Decimis*, et l. *Non aliter*. ff. *de Legatis*. III. cum similibus. Layman c. *Is cui. de Elect.*, in 6. et alii. Quod si vero ejusmodi intentio legislatoris non clare habeatur ex verbis legis, restat, ut ea prudenti judicio partim ex subjecta materia, partim ex aliis circumstantiis desumatur: neque enim circa hoc una certa et generalis regula dari potest.

206. *Per consuetudinem longævam potest ex lege humana mixta fieri pure pœnalis. Exemplificatur hoc.* — Huc etiam plurimum juvat hactenus recepta, et antiqua consuetudo, utpote quæ est optima legum interpret, c. *Cum dilectus. de Consuetud.* et l. *Cum de interpretatione*, ff. *de Legib.* Item communis sensus, atque existimatio communitatis, cui lex illa traditur: quia lex aliter non obligat, quam communiter recepta est; alioquin quippe lapsu debiti temporis rursus abrogaretur, cap. ult. *de Consuetud.* cum concordantiis. Quinimo per consuetudinem longævam, et a superioribus toleratam, posse ex lege humana mixta fieri pure pœnalem, ac cessante reatu conscientie manere solam pœnam fori externi, haud immerito notavit Suarez, lib. VII. *de Legib.* cap. XIX. num. 11; Layman, lib. I. tract. IV. cap. XXIV. num. 12. et Engel, tit. *de Consuetud.* num. 17. Qui addunt id fortassis contingere in multis legibus civilibus imponentibus exactiones, vel prohibentibus venari, digna scindere, vel aliquid ex regno extrahere: licet enim in principio directivæ fuerint, ac proin obligaverint sub culpa, et in conscientia, juxta illud divi Apostoli, Rom. XIII, 7. *Reddite ergo omnibus debita: cui tributum, tributum, cui vectigal, vectigal*, etc. Nihilominus potuerunt longævo usu fieri mere pœnales, et quasi naturam mutare; quia non aliter sunt receptæ, ipsis etiam principibus dissimulantibus, et tacite

consentientibus, dum pœna confiscationis bonorum, quam fraudantibus vectigalia imposerunt, videntur esse contenti.

207. *Pœna latæ sententiæ, et ferendæ sententiæ; quæ? Unde colligi possit pœnam esse latæ, vel ferendæ sententiæ?* — Quæritur III. Unde colligi possit pœnam esse latæ, vel ferendæ sententiæ? Ubi nota, quod « Pœna ipso jure inflicta, seu latæ sententiæ, » dicitur illa, quæ posito delicto statim vi legis irrogatur: unde hanc legislator per ipsammet legem delinquenti imponit, atque ad eam condemnat. « Pœna ferendæ sententiæ » e contra illa dicitur, quam legislator dumtaxat comminatur delinquenti, nondum autem per se, ac vi legis suæ imponit, sed primum per sententiam judicis imponendam decernit. Unde illa prior dicitur imposita a jure, hæc vero imponenda ab homine, seu iudice: illa debetur a tempore contracti delicti; hæc primum a tempore latæ per iudicem sententiæ condemnatorie. Quibus prænotatis

208. *In dubio pœna censetur esse ferendæ sententiæ.* — Resp. I. Quotiescumque dubium est, an lex contineat pœnam v. g. excommunicationis, suspensionis, interdicti, aut privationis officii, ipso jure latam, vel ferendam a iudice, censendum est quod tantum contineat ferendam. Ita card. Tuschus, litt. P, concl. 238, n. 5, docens, quod verba dubia debeant intelligi de pœna per sententiam, ac citans pro se Geminianum, consil. 23, n. 2, et seqq., ubi idcirco hæc verba: « Sub pœna amissionis beneficii, » exponit de pœna per sententiam inferenda, estque communis aliorum. Ratio est, « quia in pœnis benignior est interpretatio faciendâ, » ut habet reg. 49. jur. in 6. juncta l. *Interpretatione*. 42 ff. *de Pœnis*, ibi: « Interpretatione legum pœnæ molliendæ sunt potius, quam exasperandæ. » Et quia pœnæ sunt odiosæ, merito restringuntur, c. *Odia restringi; de Reg. jur.* in 6.

209. *Idem dicendum, quando lex solum comminatur pœnam.* — Resp. II. Si lex solum comminatur pœnam, signum est quod contineat pœnam ferendæ sententiæ, et a iudice primum imponendam: ut si quid prohibeatur « sub pœna excommunicationis, sub interminatione anathematis, sub pœna privationis actuum legitimorum, » etc., dummodo alia particula, pœnam latæ sententiæ imponentis, non addatur. Ita Glossa fin. in. c. *Cum esses. de Testament.* et c. *Relatum* §. *Excommunicationi subdatis, de Jure patronat.* et

amplius, cap. un. §. *Sub anathemate. de Sagittariis*, et Abbas, ibid. n. 3; Farinacius, part. 2. *Fragment.*, §. *Lex*, n. 69. allegans communem. Ratio est: quia aliud est, comminari pœnam, vel mandare iudici, ut eam transgressoribus imponat: aliud, eam ipso facto infligere: nam comminatio non est sententia. Quanquam hoc sit intelligendum stante dubio, ac nisi ex aliis verbis, vel circumstantiis, satis appareat de mente proferentis, quod velit imponere pœnam latæ sententiæ. Abbas in d. cap. un. n. 3. *de Sagittar.*

210. *Vel per verba futuri temporis loquitur imponendo pœnam.* — Resp. III. Insuper quando lex loquitur per verba futuri temporis imponendo pœnam; tunc non intelligitur ipso jure hanc imponere, sed opus est sententia iudicis. Ita Glossa in c. *Cum tu*. §. *Privandus; de Usuris*, et Glossa Clem. *Sæpe*. §. *Irritandus; de Verb. signif.* cum concordantiis, quas allegat Farinacius, loc. cit. §. *Lex*. nu. 63, post Bartolum., Baldum, et communem aliorum: idque patet ex d. Clem. *Sæpe*, ubi dictio illa, *Irritandus*, expresse opponitur dictioni, *Irritus*, importanti nullitatem actus ipso jure.

211. *Aut utitur verbis imperativi modi, quæ non efficiunt immediate ipsam pœnam.* — Resp. IV. Quando lex utitur verbis imperativi modi, quæ non efficiunt immediate ipsam pœnam, sed vel reatum pœnæ, dicendo v. g. « Qui hoc fecerit, reatum (seu obligationem passivam) talis pœnæ incurrat; fiat reus talis pœnæ, » etc. Vel ipsam actionem iudicis, ut puta dicendo: « Excommunicetur; suspendatur a divinis; privetur officio et beneficio; mulctetur, etc. » Signum est ejusmodi pœnam esse ferendæ sententiæ, atque a iudice primum infligendam; dummodo non interveniant aliæ clausulæ, vel circumstantiæ pœnam latæ sententiæ, vel ipso jure impositam, sufficienter exprimentes. Ita Heriæx, part. II. disp. 5. *de Legib.* n. 7; Farinacius d. part. II. *Fragment.*, §. *Lex*. num. 63, et alii. Ratio est, tum quia hujusmodi formulæ requirunt actionem, seu sententiam iudicis; ac proinde pœna in ipsis expressa ante hanc non debetur; tum quia memoratæ clausulæ possunt commode intelligi de pœna ferendæ sententiæ; ergo, cum in his benignior sit faciendâ interpretatio, oportet eas explicare de pœna ferenda, seu per iudicem primum imponenda, nisi aliunde constet de opposito.

212. *Major est difficultas si verba legis imperativi modi immediate pœnam efficiunt.* —

Resp. V. Quando autem verba legis imperativi modi afficiunt immediate ipsam pœnam, tunc major est difficultas, et controversia non modica inter doctores, qualis pœna denotetur.

213. *Refertur opinio asserens tunc importari pœnam latæ sententiæ.* — Et quidem imprimis non pauci doctores volunt importari pœnam latæ sententiæ, arg. cap. i. juncta Glossa in fine de *Injuriis*, in 6. ubi notatur quod ly, « Sententiam excommunicationis incurrant, » et verbum, « Subjaceat interdicto, » pœnam latæ sententiæ importet. Idem notat Abbas in c. *Quia in omnibus*, n. 9, de *Usuris*, ubi pariter addit, quod ly, « Maneant suspensi, donec satisfaciant, » importet suspensionem per canonem ipso jure infligendam; quia non potest quis manere suspensus, nisi prius ipso facto per canonem suspensus fuerit. Hinc etiam in can. *Si quis suadente*, 17, q. 4, verba illa, « Anathematis vinculo subjaceat, » important pœnam latæ sententiæ. Et quod ly, *Sit anathema maranatha*, sit latæ sententiæ, docet Felinus in c. *Rodolphus*, num. 33, de *Rescript.* post Glossam, can. *Gullisarius*, 23, q. 4, ubi dicta verba explicat, « Sit excommunicatus usque ad Adventum Domini, *supple*, nisi pœniteat. » Et hinc concilia generalia, ac novissime concilium Tridentinum, de illis, qui factis definitionibus fidei contraria sentiunt, ait: « Anathema sit, » hoc est « ipso facto sit excommunicatus. » Talia enim verba non afficiunt immediate reatum pœnæ primum imponendæ, seu actionem judicis, sed ipsammet pœnam, quam proinde videntur indicare esse latæ sententiæ.

214. *Refertur etiam opposita opinio, ac varie probatur.* — Oppositum nihilominus tenet Navarrus, cap. xxvii. *Manual.* n. 12, ubi ex professo docet, quod hæc verba, « Sit excommunicatus, » non denotent sententiam latam, sed ferendam, nisi cum alia adjecta verba, vel jura id declarant. Et ratio est, tum quia plurimi canones habent illa verba, « Anathema sit, » et tamen solummodo continent sententiam ferendam, juxta Glossam fin. cap. ii. de *Foro compet.* Quæ etiam censet in simili verba illa, « Ab Ecclesia Dei sit sequestratus, » significare sententiam ferendam; tum quia verbum, *Sit*, est futuri temporis, et potest commode explicari per ly, « Fiat excommunicatus: » prout Glossa fin. c. *Si quis ex clericis, de Vita et honestat. cleric.* explicat ly, « Anathema sit » dicens:

« hoc est fiat: non enim est excommunicatus ipso jure » unde per illud non videtur ferri sententia ipso jure, nisi aliquid aliud addatur, ut puta, « Ipso jure sit excommunicatus. Ipso facto suspensus, » etc.; tum tandem, quia stante dubio mitior pars in pœnis est eligenda: atqui præfata verba sunt dubia, uti liquet ex allatis rationibus, atque ipsa Doctorum varietate sentiendi; ergo ea sunt mitius interpretanda, ut intelligantur de pœna ferendæ sententiæ, non autem latæ sententiæ. Alioquin, si de hac voluisset conditor canonis ea intelligi, potuisset expressisse, atque expressisset, arg. c. *Inter corporalis* §. *Sed neque, de Translat. episcop.*

215. *Simul et explicatur hæc verba: Sit excommunicatus, sit anathema, etc. non denotant sententiam latam, sed ferendam, nisi adjecta verba, vel alia jura id declarant.* — Atque ideo hanc posteriorem sententiam præter Navarrum, loc. cit. tenet Sanchez, lib. VII, de *Matrim.*, disp. 12, n. 2, post Baldum in c. *At si clerici*, n. 20, de *Judiciis*, et alios, docens quod ly, « Excommunicatus sit, anathema sit, » non contineat sententiam latæ excommunicationis, nisi hæc aliunde habeatur. Idem tradit Layman, lib. I, tract. V, part. I, cap. ii. n. 3 et præter alios sequitur Herinx d. disp. 5. de *Legib.*, n. 7. Quinimo licet Abbas, cap. ii. n. 13, de *Foro compet.* post Glossam in c. *Quicumque*, §. *Innodetur, de Hæretic.*, in 6. et quosdam alios, velit, per hæc verba: « Sit excommunicatus, innodatus, » etc. significari excommunicationem ipso facto, illico tamen addit ob jura in oppositum pugnantia, hujusmodi verba esse intelligenda juxta subjectam materiam, nec continere latam sententiam, quando per alia jura patet, quod non inferatur sententia ipso jure. Atqui stante dubio, et nisi per alia jura, vel adjecta verba probetur oppositum, jura volunt verba illa benignius explicari, ac proin solum de pœna ferendæ sententiæ intelligi; ergo.

216. *Solvuntur rationes in contrarium.* — Nec obstant rationes, n. 213, in contrarium allatæ. Nam quantum attinet ad cap. i. de *Injuriis*, in 6, dictum illius glossæ nunc controvertitur; et in contrarium opponuntur aliæ glossæ, rationes, et auctoritates. Quomodo etiam solvuntur auctoritates doctorum, in oppositam partem allegatæ. Ad can. *Si quis suadente*, 17, q. 4, non est opus longiori aliqua responsione; nam et verba immediate sequentia, quibus ibidem absolutio Romano pontifici reservatur, et plures alii sacri cano-

nes clare significant, excommunicationem ob injectas manus violentas in clericum esse latæ sententiæ. Quod attinet ad concilium Tridentinum, aliaque concilia generalia, mirum non est, quod ly, « Anathema sit, » in hæreticos fulminat, sit latæ sententiæ; cum hi ipsomet jure dudum jam fuerint excommunicati, ut refertur in can. *Achatius*, et can. *Majores*, 24, q. i, cum concordantiis. Et ob hujusmodi instantias notanter num. 214, additum fuit verba illa non denotare latam, sed ferendam sententiam, « nisi cum alia adjecta verba, vel jura id declarant; » prout accidit in allatis, et aliis hujusmodi instantiis.

217. *Si lex utitur verbis indicativi modi, v. g. Excommunicamus, denotatur pœna latæ sententiæ.* — Resp. VI. Quando lex utitur verbis indicativi modi, præsentis, aut præteriti temporis, v. g. « Excommunicamus, suspendimus, sciat se esse excommunicatum, noverit excommunicationem se incurrisse, » etc., censetur esse pœna latæ sententiæ. Ita Herinx, loc. cit. n. 7. post Suarez, lib. V. de *Legibus*, cap. vi; card. Tuschus, litt. P. concl. 719. nu. 15; Farinacius d. part. II. *Fragment*, §. *Lex*, n. 74. citans communem aliorum; et nu. 89. et seq. subjungens, quod verba præsentis, vel præteriti temporis, de sui natura importent canonem latæ sententiæ, dummodo per alia jura, aut per subjectam materiam, ejusque rationem non constet, quod importent solum ferendam sententiam.

218. *Hanc etiam importat ly, ipso jure, ipso facto.* — Resp. VII. Pœnam latæ sententiæ, ejusque plenissimam firmitatem inducit adjecta particula, « Ipso jure, sive (quod idem sonat) ipso facto sit excommunicatus, suspensus, » etc. Idemque dicendum de illis dictionibus: *Mox, Ex tunc, Extemplo, Illico*, et aliis hujusmodi, utpote quæ nullam temporis dilationem admittunt, ac proinde censentur significare latam sententiam. Felinus c. *Rodolphus*, n. 24. de *Rescript.*; Farinacius, ubi supra, num. 92. et seqq. singillatim hujusmodi dictiones declarans.

219. *Aut quando legislator sibi, vel legi suæ vim ipsius attribuit, ut Auctoritate nostra, Virtute præsentium sit excommunicatus, etc.* — Insuper pœna latæ sententiæ importatur, quando legislator sibi, aut legi suæ vim ipsius attribuit, v. g. dicendo: « Auctoritate nostra, Virtute præsentium, etc. sit excommunicatus; Qui secus egerit, excommunicationem quam nunc in ipsum proferimus, se noverit incur-

surum, » et hujusmodi. Et hoc intelligendum etiam de illis locutionibus, quæ cæteroquin solum importarent sententiam ferendam, juxta superius dicta: nam si addantur tales clausulæ, importabunt latam, et non tantum ferendam sententiam.

220. *Solvitur instantia. Pœna ipso jure imposita, quomodo non raro in sacris canonibus dicitur imponi per judicem.* — Objicies contra proxime dicta. Pœna nullitatis, vel privationis, sæpius in sacris canonibus imponitur per judicem, laud obstante, quod ipso jure incurratur; ergo. Antecedens probatur. Sic enim jubetur irritari, vel etiam irritatur, seu cassatur, quod ipso jure irritum est, cap. ult. de *Postulat. prælat.* et c. *Ecclesia vestra*, 48. de *Elect.* et alibi. Item privatur beneficio, vel potestate eligendi, qui ipso jure est privatus, c. *Scriptum est*, juncta Glossa. §. *Privari*, 40. de *Elect.* et cap. i. ac. 3. de *Clericis conjugat.* et alibi. Item econtra absoluitur a vinculo juramenti, vel excommunicationis, qui illud de jure non contraxit, c. *Pervenit*, 2. de *Jurejurand.* et can. *Audivimus*, 24. q. i. et *Ad præsentiam, de Appellat.* juncta Glossa. §. *Absolvi*, varias concordantias allegante. Resp. neg. consequent. Ad allatos canones, et alios consimiles textus juris possunt, ac solent dari plures solutiones. Et quidem primo dici potest, quod quando ex aliis textibus juris habetur, ejusmodi pœnas ipso facto incurri, tales modi loquendi referantur dumtaxat ad factum, ita videlicet, ut is, qui ipso jure amisit, v. g., beneficium, etiam per sententiam judicis quoad factum, et actualem possessionem, id relinquere cogatur. Secundo dici potest quod ejusmodi textus contineant solam juris declarationem, adeo ut illi, qui actum ipso jure irritum commiserunt, vel jus eligendi amisserunt, aut ipso facto excommunicati fuerunt, postmodum suborta lite per sententiam judicis tales declarentur: sicque idem sit, *privare*, ac *privatum esse declarare; irritare, et cassare electionem*, ac ipsam irritam, et cassam sententialiter pronuntiare: *absolvere*, ac absolutum esse ostendere, et hujusmodi. Tandem, si quando cuiquam datur absolutio ab excommunicatione, vel alia pœna, quam aliunde constat ipso jure fuisse nullam atque invalidam, vel a juramento pariter irritum, tunc ejusmodi absolutio datur solum ad cautelam, ut notat glossa cit. can. *Audivimus*, 24. q. i. et alibi sæpe.